

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Joachimi Langii, Verbi Diu. Min. & Gymn, Frider. Berol.
Rect. Clavis Ebræi Codicis**

Lange, Joachim

Halae Saxonum, MDCCVII

VD18 10506489

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-18517



BENEVOLO LECTORI SAL. PLUR.

Studii Ebræi meta in scholis ubi ponenda sit, non una est omnium sententia. Sunt, qui in nuda sermonis Ebræi lectione, levique rudimentorum Grammaticorum notitia subsistunt. Alii gradum quidem proferunt ulterius, sed ultra *Geneseos* tamen initia aut *Psalms*, dictorumque aliquot tractationem non provehuntur. Alios discendi studium ad justam ferret ἀκμὴν; sed necessariis se vident subsidiis destitutos. Quæ quibus Dei munere obtingunt, ii sanctam linguam in sanctioris Theologiæ apparatus sibi quasi vernaculam reddunt; ideoque non desistunt, nisi integrum Ebræum Codicem perlegerint sæpius & intelligant expeditius, quam alii IV priora *Geneseos* capita.

§. II. Et hæc meta uti iusta, sic etiam digna est, quam sibi omnes Scholarum maiorum magistri & alumni habeant præfixam. Ad cursum, inquis, studiorum Academicum hoc pertinet. Minime: Versaris adhuc in errore vulgi, quem sensim exolevisse putabam in præsentis Ebræarum litterarum luce. Stadium Academicum (at plurimis quam perbreve!) decurrendum præcipue est in studio Ebræi codicis *exegetico*. Quibus præter fœcundiores ingenii dotes, sumtum ratio, aut alius providentiæ divinæ ductus, vitæ Academicæ spatium concesserit benignius, satis adhuc negotii fa-

PRAEFATIO.

cesset *Rabbinismus* cum *reliquis* Orientis *linguis*, vel mediocriter tantum delibandis. Taceo reliqua studii Theologici momenta, quorum singula, vix tantum, quantum poscunt, temporis ad sui culturam invenient.

§. III. Quod dum scribo, proscriptam cupio ignorantiam, quæ plerosq; Theologiæ cultorum verbique divini præconum animos quam foedisime tenet obsessos, situq; obducit plane barbaro. Quis enim nescit viam, ad ministerium sacrum tritisimam, quam nunquam non plurimi quasi in abecedaria non solum linguarum, sed ipsius etiam Theologiæ notitia inveniunt; utpote facile pallianda per *torneuticam sacram*, egregium illud alendi ventris titillandarumque aurium instrumentum, h. e. *artem homileticam*, vanissimum illud & in abusu suo propudiosum nomen: de quo alibi plura. Nec est quod quis putet, rusticæ cathedræ, cui plurimi destinantur, tribui, quæ non nisi Academicæ & Scholasticæ conveniant. Retinet hæc præsidia ornamentaq; sua peculiaria; sed ita tamen, ut nec Ecclesiasticã, etsi rusticam, a necessariis minus velit esse instructã. Eam autẽ Ebrææ linguæ studiiq; hermenevtici facultatem, quæ quis in sacro codice tanquam suismet oculis videre, suumque ipsius animum pascere possit, etiam agrestis Ecclesiæ Pastori duco esse necessariam. Etsi huius necessitatis ratio tanta non est, ut reliquos necessariæ habilitatis & fidelitatis defectus compensare queat; aut per fidelitatem, ad reliqua habilem, aliqua ex parte suppleri haud possit. Nec plebeias auditorum
aures

PRAEFATIO.

aures Ebrææ voces criticæque observationes ut circumsonent, postulo: absit ista vanitas: sed hanc verbi ministro *ικανότητα* exopto, qua is scripturas debite possit *ἐρευνᾶν* & *ἐξερευνᾶν*, h. e. non solum patentes veritates inde haurire, sed etiam latentes mysteriorum ac veritatum divitias solidissimi auri instar e venis suis eruere. Quod studium animos mirum in modum recreat, pascit, corroborat & inter varias adversitates solatur, easque ad maiores in Ecclesia usus, si quos forte divina providentia poposcerit, reddit paratos.

§. IV. Quæ meta ut attingatur, mature danda est opera in scholis; in mediocribus quidem, ut saltem *Genesis*, seorsum impressa, cum *Psalms*, passim obviis, aut *Dn. D. Opitii Parva Biblia* pertractentur; in amplioribus vero, quæ Gymnasiorum nomine insigniuntur, ut *integer codex* intra biennium aut triennium absolvatur. Cui negotio vacuæ horæ deesse haud poterunt, si expunctis supervacuis, necessaria cum utilibus rectius dispensentur. Ipsorum quidem codicum defectus non parum obicere videtur difficultatis aut impedimenti, sed tamen omnino superabilis: in primis si ærarii, ubicunque istud habetur, symphoniaci beneficio exemplarium copia habeatur in promptu. Quæ quomodo inter alia nostri etiam Gymnasii constitutione comprobari possint, civium nostrorum exemplis declarari malo quam verbis meis.

§. V. *Methodus* vero ea est optima, quæ facillima & expeditissima h. e. quæ Grammaticæ multa

a §

tum

PRAEFATIO.

tum, ipsi autem codicis lectioni ac relectioni plurimum adscribit. Sunt, qui Grammaticæ tribuunt nimium, eamque tractant præpostere: id est, vel Wasmuthianos campos ante moliuntur emetiri & remetiri, priusquam aliquot in ipso codice capita legerint: ad quam lectionem deinde aut nunquam, aut sero accedunt. Alii in alterum præcipites extremum, ne potioribus quidem Grammaticæ rudimentis recte degustatis, ipsum codicem legunt ac relegunt, sed non intelligunt Grammaticæ, nedum solide in nucleo suo. Videas enim eos subinde hærrere, aut aberrare, utpote in ipsa etiam Coniugationum, Temporum, Numerorum, Personarum, Generum aliorumque momentorum notitia incertos. Optima itaque est *via media*, qua necessariis Grammaticæ elementis, brevi temporis spatio solide delibatis, statim ipse codex legatur, ita quidem, ut subinde aucta theoria Grammaticæ lectionis praxin promoveat; hæc vero illam reddat quasi animatam & certiolem.

§. VI. Ad quod linguæ sanctæ studium qui accenderent iuventutem, aut subsidio aliquo instruerent ac levarent, adhuc non defuerunt. Quorum in numero proximis hisce annis orbi literato se commendarunt Viri clarissimi, OPTIUS iunior ac REINECCIUS: quorum ille Ebraei codicis *Hodegeticum*, hic vero *Ianuam* edidit, uterque ut in eodem argumento, sic methodo & scopo parum dissimili, nec illaudabili. Ad quæ cur hæc mea *Clavis* accedat, paucis monendū est.

§. VII. Cum inter docendum observarem, Phi
le-

PRAEFATIO.

lebræam iuventutem eiusmodi subsidio iuvari posse, cœpi consilium fecique aliquod elaborandæ *Clavis* meæ initium, antequam in lucem prodirent laudati libri, aut ulla eorum extaret memoria. Vbi prodierant, poteram quidem supersedere opera mea, imprimis cum per alios labores litterarios interrupta esset, perficienda: sed nolui tamen incepto desistere. Cogitavi enim, cum Grammaticis, diversorum auctorum fere, innumeris, Lexicis ac Commentariis permultis suffultum sit hoc studium; haud fore inconsultum, ad excitandum discendi ardorem tres, imo plures quoque, prostare huius generis institutiones, pro argumenti quidem ratione congruentes, ob peculiarem vero tractandi modum inter se diversas. Quid? quod plane peculiaris esset instituti mei ratio. Moliebar enim in memoriæ subsidia simul triplicem Ebræi Lexici nucleum exhibere, *Etymologicum, Analogicum & Harmonicum*. Quæ etiam nunc comparent, sed gratæ brevitas ergo paulo contractiora, quam primum institueram.

§. VIII. Subsidium *Etymologicum* seu *Onomasticum* consistit ex universo Sacro codice notiora *Nomina Propria*, quorum beneficio non solum ipsa *nuda lectio*, etiam citra vivam vocem, quam facillime addisci, sed simul non minima vocum Ebræarum pars comprehendi potest. Perquam vero iucundum fore crediderim tironi, in vocibus, iam antea notissimis, præter lectionis adiumentum deprehendere non levem vocum apparatus, & quidem magna ex parte ipsi iam antea cognitum

PRAEFATIO.

tum atque possessum. Subsidium *Analogicum* exhibet eas *radices*, in quibus respectu partim *litterarum & soni*, partim etiam ipsius *significationis* manifesta est analogia: quæ observata lucem aliquam affert memoriæ, imo iudicio; neglecta autem non parum parit confusionis; & quidem non incipientibus solum, sed etiam proficientibus. Subsidium *Harmonicum* non iniucundam, tradit harmoniam *Lingvæ Ebrææ* cum *Germanica, Latina & Græca*. Quam haud esse fortuitam, sed ex origine sua prima arcessendam, vix quisquam dubitabit, aut negare poterit. Imo fac, quædam congruere casu, aut analogiam suam accipere quodam quasi ingenii lusu: quid obstat, quominus memoria inde adminiculum aliquod arcessere possit? Quod sane non minus iucunditatis quam facilitatis habet. Imo putaverim, vel solum hoc subsidiū torpescenribus discentiū animis *Ebrææ* lingvæ amorē ingenerare, diligentiū autē ardorem non parū augere posse. Singulorū, quæ sisto, subsidiorum ratio ita comparata est, ut privata industria facile comprehendere, viva autem voce instillata, luculentius notari possint; & quidem ipsi codicis lectioni partim præmittenda, partim cum eadem, condimentorum instar, coniungenda. Restat, ut de ipsa *Clave*, quod res est, dicam.

§. IX. Secutus in ea (subsidiaria docti cuiusdam Studiosi, tum auditoris mei carissimi, opera adiutus) sum ratione capitum *codicem Berolinensem*. Voces semel tantum, aut rarius occurrentes, ubique positæ sunt. Quæ vero in codice sunt
fre-

PRAEFATIO.

frequentiores, hic etiam recurrunt frequentius; non autem semper, sed per intervalla legentibus non ingrata. Viam enim ingressus sum mediam, inter *tedium*, quod nimia repetitio, & *hesitationem*, quam nimia repetitarum vocum raritas gignere potest. Ea vero, quæ in IV prioribus Geneseos capitibus, a tirone eo diligentius notandis, aut in subsidio *Onomastico* occurrunt, postea ommissa sunt frequentius; & semper fere formæ e paradigmatē P^{P} , utpote e sola Grammatica (quæ & paucula alia, hic studio prætermissa, suppeditabit) quantum satis est, notandæ. Ad finem vero ubi tendit *Clavis*, sit contrarior; siquidem tunc tironi minus necessaria, quam in principio ac medio. Lexici quidem evolutione discenti primum opus non est. Ut tamen hæc etiã minus haberet tædii ac difficultatis, suæ *derivatis vocibus*, eo tenacius observandis, *radices* appositæ sunt: quæ vero appositio ommissa est, ubi derivatæ voces auctæ haud sunt, sed simplicitate sua ipsas *radices* simul indicant. In *verbis*, nisi in ipsa radicali forma occurrant, additur *resolutio Grammatica*, & quidem per seriationis compendia: ubi K. significat *Kal.* N. *Niphal.* Pi. *Piel.* P. *Püal.* Hi. *Hiphil.* Ho. *Hophal.* H. *Hithpael.* F. *Futurum.* Pr. *Præteritum.* Pa. *Participium.* (Pa. Paul.) In. *Infinitivum.* Im. *Imperativum*: Sic 1. 2. 3. est *persona* s. *singularis*, p. *pluralis*. Plerumque etiam *Generis* differentia per *m* & *f* additur. In recognitione observavi pro P. (Püal) interdum positum esse *Pü*; pro Pa (Paul) P, pro H. (Hithpael) *Hit*.

§. X.

PRAEFATIO.

§. X. Jam vero quaeritur, *num e re sit inventatis, huiusmodi exstare hodegos?* Sunt, qui eos vilipendunt, ut supervacuos; imo spernunt, ut noxios, & ignorantiae asyla, tironum industriae solidisque profectibus obstantia. Sed a vero abest haec sententia. Necessitatem quidem his adminiculis haud tribuo, utpote sine quibus alii adhuc non infeliciter profecerunt: utilitatem vero, eamque insignem, si illis denegarem, rem negarem ut verissimam, sic & evidentissimam. Qua effici posse credo, ut non solum ingenii excitatis, quae facilia sunt, reddantur facillima, sed tardiora etiam sua hinc calcaria accipiant, nec acquiescant in vulgaribus Ebraeae linguarum rudimentis, sed ad *expeditam repetitamque integri codicis lectionem* adspirent ac provehantur. Quam metam attingere quam paucis ante nostra tempora datum fuerit, multo est evidentius, quam ut demonstratione egeat. Nec rei per se bonae abusus suum usui pretium demere poterit. Eadem enim ratione inutilitatis, imo noxae postulari possent *omnes exegetici in sacrum codicem labores*, quippe qui quasi inviti multorum ruditati praepostere & inepte infervire coguntur.

§. XI. Quod si vero res ad vivum excutiat, manifestum est, *abusum*, qui metuitur, ne committi quidem posse, nisi ab homine ineptissimo, ignavo, Ebraeosque fontes haud unquam diligentius adituro, si ne quidquam horum subsidiorum exstaret. Qualem fucum

ut

PRAEFATIO.

ut a *Clave* mea arcerem, non apposui singula, quoties & quacunq;e occurrunt forma. Unde NB, e coniuncta ipsius Ebraei sermonis lectione, antecedentia & consequentia in *Clave* qui non observaverit, aquam hauriet cribro, seque a quæsito statumine & solamine suo deprehendet in ignava ignorantia sua derelictum. Usu enim subinde veniet, ut *vocem aliquam eiusque notationem Grammaticam ad hunc vel illum versiculum quærat, sed haud inveniat, utpote brevi ante iam præmissam, aut mox subsequaturam.* Sic ipsa codicis lectio sui neglectum ignavis iuste vindicabit.

§. XII. Usus vero huius libri commodum facile inveniet discendi sincere cupidus. Qui *institutionem habet vivam, qua certis horis certa absolvuntur pensæ in Ebraeo codice, ei Clavis hæc dabit præparationem, ipsaque tractatione, sic expeditiore reddita repetitioni non parum inserviet.* Non autem suaserim, ut cum memorie animique defatigatione singula statim ediscantur: sufficit enim crebra inspectio ac cognitio, quæ cum continuata codicis lectione sensim familiarissima reddet omnia. *Grammatica autem notatio verbis apponitur, ipsius rei Grammaticæ studium non ut retundat, sed potius ut exacuat.* Unde consultum erit tironi, quæ notata sunt, subinde ad verborum Paradigmata, iam ante comprehensa, referre. Qua ratione totum Grammaticum negotium reddetur expeditissimum.

b

inum.

PRAEFATIO.

num. In *prætermisſis* nemo ſit anxius ac ſuſpenſus; quippe quæ, ex antecedentibus nondum ſatis percepta, conſecutura lectio identidem reponet. Vivæ autem inſtitutioni ut inſervir poterit hæc *Clavis*, ſic *iſta* etiam deſtituto, aut non ſatis inſtructo, Ebrææ linguæ ſtudio, in primis Sacri fontis lectionem, non parum promovebit.

§. XIII. Denique non diſſiteor, errata in hunc librum irrepiſſe opinione mea plura: id quod Lector Benevolus ipſi ignoſcat, haud immeritor, quam facilis ſit lapſus in amanuenſium calamo, ac recognoſcentis oculo, in primis in ty-potheſia, ubi illa plus vice ſimplici repetitam correctionem haud admiferit. Ne autem tiro-nes aberrent, non ſine moleſto ſtudio totum Scriptum, præter Appendices, recognovi, errataque ſub calcem operis adieci, inde facili negotio emendanda. Vale, Lector Benevole, in Domino!



ERRA



GENES. CAP. I.

- v.1 ראשית Principium. ראש Creavit. אלה
Deus. שמים Cœlum. ארץ Terra.
- 2 היה Fuit. 3. f. f. Pr. K. תהו Res informis. בה
Res inanis. חשך Tenebræ. על Super. פנים
Facies. פנה תהום Abyssus. רוח Spiritus. דנה
Commouit se. f. Pa. Pi. מים Aqua.
- 3 אמר Dixit. 3. f. F. K. היה Fuit. 3. f. F. K. אור
Lux.
- 4 ראה Vidit. 3. f. F. K. טוב Bonum. הברזל ברזל Di-
stinxit. 3. f. F. Hi. בין Inter.
- 5 קרא Vocauit. 3. f. F. K. יום Dies. ליל Nox.
ערב Vespera. בקר Mane. אחד Vnus, primus.
- 6 קיץ Expansum. קיץ Medium. תהו
7 עשה Fecit. 3. f. F. K. v. 26. i. p. F. K. תחת Sub.
Ita. בין
- 8 שני Secundus, שנה
- 9 קנה Exspectauit. Niph. confluit. 3. p. F. N.
מקום Locus. קום יבשה Aridum, יבש
- 10 קנה Confluxus. קנה ים Mare. כי Quia.
quod.
- 11 קשה Progerminauit. 3. f. f. F. Hi. קשה Germen.
עשב Herba. זרע Seminavit, Pa, Hi, Semini-
ficans.

A

ficans.